

E. Deus, vi absoluti decreti, non est Sapiens.

Major est extra controversiam.

Minorem Røellius docet, dum absolutum decretum statuit; per quod ita decretum divinum præscientiæ divinæ præponit, ut istud hujus causam constituat.

§. VI. [2.] Quicumque aliquid ex pluribus eligit, sine ulla in illo, quod eligit. causa, quare id eligat, is fatui instar inter homines agere censetur.

Deus, juxta absolutum decretum, quosdam homines ex pluribus eligit, sine ulla in illis causa, quare eosdem eligat.

E. Deus, juxta absolutum decretum, non est Sapiens.

Major evidens est.

Minor propugnatur à Røellio.

Quanquam alias Røellius hæc doceat, per quæ ita stabilitur Propositio Major, ut Conclusio & Minor falsitatis damnentur. Nam Comment. p. 771. ait; Velle in substantia rationali est, in rem aliquam cum scientia & ratione convenienter & suæ & rerum naturæ, prout tanquam bona, vel mala observatur, ita spontaneo, motu ferri, ut eam probebet vel improbet; appetat & desideret, vel aversetur & fugiat; optet & petat, vel deprecetur & detestetur; præcipiat, aut vetet; vel etiam, si possit efficere vel impedire & amoliri, decernat. Si ergo objectum aliquod propterea quod intellectui humano illud obversatur vel ut bonum, vel ut malum, voluntas vel eligit, vel aversetur, hoc ipsum sane, quod vel bonum, vel malum in illo objecto esse intellectus judicat, est causa, sive ratio, quare istud objectum voluntas vel eligat, vel aversetur. Tum. p. 1010. sic docet. Est idem πρόθεσις propositum Dei, & βελή τῆς θελήματος αὐτοῦ consilium voluntatis ipsius. Posteriora enim adduntur ad explicandam προθεσεως divinæ naturam, βελή autem significat decretum animi nixum rationibus, atq; a deo in emphasi decretum deliberatum, & factum rationibus bene subductis. Et p. 1011. ut intelligatur non abesse à Dei decreto sapientiam; βελήν consilium vocat. Ex quibus concludo: βελή signi-

B

signi-